



# **Disputatio juridica feudalis prima, ad method. feud. Bronchorst.**

<https://hdl.handle.net/1874/341622>

Disputatio Juridica

# F E U D A L I S

P R I M A ,

Ad Method. Feud. Bronchorst.

Q V A M

Favente Deo Optim. Maxim:

S U B P R E S I D I O

*Clarissimi, Consultissimique Viri,*

D. CYPRIANI REGNERI ab OOSTER-  
GA, J. U. D. nec non ejusdem Facultatis  
in Illustri Rheno-Traject. Acad. Pro-  
fess Pandect. Ordinarii.

*Publice defendendam suscipit.*

RUMOLDUS MODE', Ultraject.

*Ad diem 2 Iunii horā locoque solitiū.*



U L T R A J E C T I ,

Ex Officina Johannis à Waesberge ,

Anno ccccclii.

2 DISPUTATIO  
METHODICA  
FEUDORUM  
EXPOSITIO.

*Conscripta ab*

EVERARDO à BRONCHORST. JC<sup>to.</sup>

**F** Eudorum consuetudines tractatus, jure quidem civili incognitas, prudentum tamen moribus receptas, commodioris doctrinæ gratia totum Feudorum tractatum in xii. capita dividam, punctula quædam de feudalis doctrinæ origine, Libris & Authoribus, ac de vocabuli Feudi etymo, præludiorum loco præmissurus.

a Feudorum autem origo à Longobardis primum dimanavit. Hi Saxones fuere positi ad ripam Albis, ubi nunc est Magdeburgensis & Halberstadiensis Episcopatus, qui ut bellicosi homines semper extiterunt, Italiam ingressi sunt duce Alboino, & ibi regnum Longobardiz excitarunt. Occupata verò nobilissima Italæ parte sub Imp. Justino secundo, cum bella quotidie vel ab Italos vicinis, vel à Græcis ex Thracia, vel aliunde timerent, agros inter milites capitatum di-

vi

## F E U D A L I S. I. 3

viserunt, pro cuiusque virtute, & agros  
 sive fundos hac via acquisitos, eorum  
 Lingua feuda dixerunt. Quæ consue-  
 tudo à vetustis Romanorum moribus  
 orta est. Olim enim cum Romani ubi-  
 que terrarum vicitria signa circumtulif-  
 sent, duces belli gratiam suis militibus  
 referre volentes, pro opera in bello ac  
 præliis egregiè navata assignabant illis  
 prædia bello occupata, ea lege colenda &  
 fruenda militibus, ut eos patronos ac  
 dominos perpetuo agnoscerent, seque  
 illorum homines, hoc est quasi clientes  
 profiterentur. Quod constat ex *Vlpiano*  
 in l. item si verberatum 15. ff. de rei vend.  
 Si ager (inquit) militibus assignatus sit,  
 modico honoris gratia possessori dato,  
 &c. Item ex *Paulo IC.* in l. *Lucius.* xi. ff.  
 de evict. ubi inquit, possessiones ex pre-  
 cepto principali partim distractas, par-  
 tim Veteranis in præmia adsignatas. Un-  
 de & Haloander in præfatione Novella-  
 rum, feuda jura militiarum nominari scri-  
 bit, quæ Justinianus appellat *spolias*, &  
 Harmenopulus ea vocat *spanilungæ nimirum*  
 i. militaria prædia. Idque Romani tri-  
 bus de causis fecerunt, primo ut attenti-  
 us milites suæ rura in hostico tuerentur,

## 4 D I S P U T A T I O

ut pulchrè Lampridius docet in Alexan-  
dro Severo , ubi ita scribit. Sola quæ de  
hostibus capta sunt, Limitaneis ducibus  
ac militibus concessit , ita ut eorum es-  
sent, si heredes eorum militarent, dicens  
eos attentius militaturos, si etiam sua ru-  
ra defenderent. Secundo, ut in posterum  
pugnarent alacrius certa spe præmiorum  
proposita : oportet enim præmiis milites  
provocare ad strenuam pro Repub. ope-  
ram. Tertio, ut recentis beneficij me-  
moria Imperator sibi haberet militem  
devinctum. Hos fundos quos militibus  
assignarunt , Limitaneos seu Limitro-  
phos Romani, Longobardi feuda appel-  
larunt.

Feudis constitutis eo modo, etiam jus  
feudorum erat necessarium. Nihil enim  
ad conservandam Rempub. majus est,  
quam juris iustitiæque inter omnes certa  
& æquabilis distributio, atque id quidem  
eo amplius olim in feudis locum habe-  
bat. Nam quod sciam, de Limitaneis Ro-  
manorum agris nullæ extant Leges in li-  
bris juris Justinianei , quam d. l. item si  
verberatum 15. ff. de res vend. & d. l. Lu-  
cius XI. ff. evict. & l. in agris 16. ff. de acq.  
re. dom. Qua de re videatur Cujacius lib.

*Observ. 2. cap. 9.* Itaque statim leges Longobardicæ scribi cœperunt, quarum mentio sit in usibus feudorum. Et quia leges singulis de rebus scribi non possebant, recessit deinde feudorum quidam usus (cujus in hoc mundo maxima vis est) tacite ab initio Populi consensu, postea non obscura omnium confirmatione comprobatus. Postremò ab Impp. certæ constitutiones superioribus additæ sunt, ut Henrici, Conradi, Lotharii & Frederici: quibus etiam expulsis Longobardorum jura tamen in hac parte placuerunt. Quæ omnia diffusa cum essent passim sine ordine, itaque incerta, ut vix omnibus paterent, Gerhardus Niger, & Obertus de Horto, uterque consul Mediolanensis reipub. (quæ regni Longobardici & exinde juris feudalis metropolis fuit) privato studio rem omnem his libris notabiliter quidem, sed nulla ratione ordinis, & elegantiae habita concluserunt.

<sup>b</sup> Hinc illud quæritur, quæ apud nos sit feudorum authoritas, & an in judiciis ad feudalium causarum decisionem, & in scholis ad intentionis nostræ comprobationem, sicut reliqui Libri Juris Civilis

& Canonici allegari possint? Neque enim satis videtur Longobardis placuisse, ut ex eo etiam jus dicatur nobis, sed aut à nobis ipsis tacito consensu jus constituitur, aut à nostro principe ex Lege Regia.

Deinde placita feudalia conscripta sunt à privatis viris Oberto, & Gerardo, quibus condendæ legis non fuit auctoritas. Hæc sententia Hostensis est *in sum. tituli, de immun. eccles.* Sed fallitur. Valent apud nos feuda, totoque orbe Christiano, non minus quam jus civile Romanorum, obtinent Legis auctoritatem. Certum enim est, feudorum librum in imperio tacite esse receptum & approbatum ab Imperatoribus & principibus, & eam tacitam approbationem sufficere, ejusque tacitam auctoritatem esse tanti, quasi expressè esset approbatus.

Longissimo etiam tempore, quod excedit hominum memoriam, publice libri hi non solum passim in Imperio, ut in Germania, sed etiam extra Germaniam, ut in Gallia, Italia, Hispania in Academiis publice lecti sunt, sciente & non contradicente Imperatore. Itaque tacita approbatione videntur recepti. Nullus

Prin-

## FEUDALIS I. 7

Princeps cauflare potest ignorantiam hu-  
jus rei: quod enim publicè fit, ejus cau-  
sam nemo ignorare debet. *I. sed et si s. pro-*  
*scribere. ff. de instie. ait.* Tempus illud  
memoriam hominum fugiens sive exce-  
dens jus facere dicitur, & æquiparatur  
privilegio à Principe ex certa scientia  
concessio. *I. hoc jure s. duellus aquæ. ff. de*  
*aqua. quot. & ast. c. super quibusdam. ex.*  
*de verb. sign.* Relinquitur ergo usus  
feudorum in imperio & extra impe-  
rium Legis auctoritatem habere, &  
non solum in seculari foro, sed etiam Ec-  
clesiastico in decidendis controversiis  
plenam vim & auctoritatem obtinere.  
Unde etiam in corpus juris civilis sunt  
insertæ. *Zazius in proœm. feudorum nu. 3.*  
& omnes ligant & astringunt. *Curt. in I.*  
*part. tract. feud. quæst. I. nu. 12. & ult. Lon-*  
gè enim omnem legum auctoritatem su-  
perat, id quod moribus unanimi consen-  
su per multa jam sœcula receptum est. *I.*  
*de quib. & l. seq. ff. de legib.*

Hæc opinio eleganter defenditur à  
Soni bechior part. I. feudor. nu. 2. Curt. d.  
loco. *Zazio in epit. feudor. in præludio. Fa-*  
*chin. lib. 7. contro. cap. 2. Oldend. in classib.*  
*clas. 4. de ait. beneficiar. ubi quoque no-*

## 8 D I S P U T A T I O

tabiliter refert, quod hi diuturni usus  
feudorum confirmati sint per Imp. Fri-  
dericum III. precibus Collegij Bononiensis. Ita quoque scribit Ioan. Cuspi-  
nianus in vita Imp. Friderici III.

¶ Illud diligenter mente tenendum  
est, quis ordo servandus sit in judiciis, ad  
decidendas controversias feudales. Fri-  
mo ante omnia debet inspici tenor inve-  
stituræ, hoc est, quæ pacta expressa sint  
in instrumento investituræ. Hæc enim  
una maxima est in jure feudali, quod à  
tenore investituræ non est recedendum,  
quæ derogat consuetudini & omni juri  
& naturæ feudorum. *tex. notab. inc. 1. de  
feud. cognit. text. insignis in c. unic,* ubi ex-  
clamat *Bald. de duob. fratrib. &c.* His ve-  
ro deficientibus consuetudo regionis at-  
tendenda est, ubi feudum est concessum.  
Statuta enim & consuetudines derogant  
& præferuntur juri communi, in loco  
ubi vigent. *ut not. in l. de quibus ff. de legib.*  
*¶ in l. omnes populi. ff. de just. ¶ jur.* Defi-  
ciente consuetudine, ad scriptum jus feu-  
dorum strenuus configiet advocatus. *d.  
c. 1. feud. cognit.*

Denique ubi non habemus expressam  
decisionem Juris feudorum, tunc ad jus  
com-

F E U D A L I S I . 9

commune Romanum scriptum confugiendum est. d.c. i. in fin. de feu. cognit. Et hæc est sententia Præpositi in d.c. i. vers. strennus, quam approbat Præses Everar. in locis legalibus, in loco à contrario sensu. nu. 29. 30. & 31.

<sup>d</sup> Hæc lufficiant de authoribus feudorum, & feudalium consuetudinum vi & potestate dixisse. Videamus nunc feudum, unde nomen habeat. Feudi appellationem *Zazius* à fide seu fidelitate, se-  
cutus *tex. lib. 2. feudo. c. 3.* deducit: fide-  
litas namque est de substantia feudi, &  
fides pacto remitti non potest, & nulla  
investitura ei fieri potest, qui fidelitatem  
facere recusat. *c. unic. §. si. per qu. fin. invest.*  
unde & Vasalli fideles passim appellantur  
in libris feudorum. Alii à fœdere de-  
rivant, cum ex certis fœderibus inter do-  
minum & vasallum initis constet. Sed  
quid aliud de Feudorum appellatione à  
nobis dici potest, quam de alodiis, Va-  
sallo, curte, id est, curia domini, peda-  
gio, id est vectigali, felonia, id est atro-  
ciori delicto, castaldia pro custodia, ho-  
magio, id est servitio, quod Vasallus re-  
pendit domino, quæ voces aut incogni-  
tæ prorsus nobis sunt, aut aliunde acci-

pi-

## 10 D I S P U T A T I O

piendæ. Sunt artium vocabula, ut apud nos, actionis, interdicti, substitutionis, sui heredis, quæ ab ipsis artibus necessario petuntur.

Hisce præludiis præmissis ad ipsam feudorum tractationem accedamus, eamque in capita xii. dividemus. Primum erit de definitione & devisione feudorum. Secundum, Qui possint feuda dare. Tertium, Quibus rectè dentur. Quartum, Quæ res in feudum dentur. Quintum, Quibus modis feuda acquirantur. Sextum, Quid juris acquirat Vassalus ex feudo. Septimum, Ad quid Vassalus nomine sui feudi domino obligatur. Octavum, Quibus modis feudum amittat. Nonum, amissum quibus debatur. Decimum, De feudis impro priis. Undecimum, De controversiis feudalibus. Duodecimum, de actionibus, quæ pro feudo competunt.

## N O T A E &amp; M O R E S

<sup>a</sup> **F**ranciscus Sonsbecius Swollanus, quo (testè Bronchorstio in epistola dedicatoria hujus tractat) nullus exactius & subtilius Feudorum jura commentariis illustravit, frivolum putat, se in origine feudorum indaganda in-

nimum fatigare; cum ad rem ipsam parum aut nihil faciat. Et nemo ferè sit Scriptorum, qui sòlide ejus rei veritatem doceat. Idem afferuit Gudelin de jure feud. part. 1.c. 2. Vide tamen si lubet, Molin ad constit. Paris. tit. 1. Petr. Heig. lib. 1.q. 1. Fachin. 7 c. 1. Arum. Feud. disp. 1. thes. 1. & 18. Ejusdem farinæ quæstio est, quando quæritur, quinam Consuetudinum feudalium compilatores fuerint. Arum. d. disp. 1. thes. 19. In consuetudines feudales vim & essentiam juris scripti acceperint, præsupposito iussu Friderici Secundi, quo in scripturam & unum corpus redactæ dicuntur, significavi in not. & disp. ad §. 4. & 9. Inst. de jure nat. gent. & civil. Adde Arum. d. disp. thes. 20.

b Quod præfatæ Consuetudines Feudales apud Belgas, aliasque plerasque Gentes ususcep-  
ptæ sint, inque decisionibus causarum vim & auctoritatem legum obtineant, communior DD. opinio est, testibus Sonsbec. part. 1.  
feud. n. 22. Gudelin. de jure feud. proleg. n. 5. Groen. ad pr. dd. consuetud. Diff. vide apud Eosd. quorum sententiam eatenus comprobo, quatenus dd. Consuetudines juri Divino & sanæ rationi nihil adversantur, ut dixi in not. ad §. 3. & 9. Inst. de jure nat. gent. & alibi. Et ita in Belgio sæpius judicatum, testatur. Zyp. in notit. jur. Belg. tit de feud. in fin. An ergo dd. Libr. feud. ad decisionem causarum crivilium & canonicarum allegari possint, an a feudo ad emphteuſin argumentari liceat, an casus non decisis ex capitulis extraordinariis (ut vocant) decidi queat, & similes controversias vide apud Arum;

## 12 D I S P U T A T I O

Arum.d.disp.1. Nobis namque notas duntaxat, atque nobiliorum quæstionum indices præsentis tractatui addere decretum est.

c Huic axiomati, quod à tenore investituræ non sit resiliendum, subjicitur limitatio, nisi sit contra feudi substantiam. Bronch. in seqq. hrc. & Wesemb. c. 8. n. 18. Vulsej. c. 3. lib. 2. feud. Subjungo & illam, nisi quid contrarationem pætam sit. c. 10. Alioquin magis contra bonos mores facit, qui pacta minus quam substantialia considerat, ut dixi ad contractus mut. & societat. Ad de Arum.d.disp.1.th.41. ubi tamen illud pactum male improbat, quo convenit, ne feudum propter feloniam revocetur, ut dixi in disp. ad tit. de pact. Plura de natura & efficacia investituræ vide in cap. 5.

d Unde dicatur feudum, non magnopere curandum est, tum propter rationes hic ab Authorre allegatas, tum propter infirmitatem argumenti, quod à notazione seu allusione nominis sumitur. Arum d.disp. thes. 22. An fides seu fidelitas pacto remitti possit vide infra

## C A P U T I.

## De Definitione, &amp; Divisione Feudi.

**E**udum est concessio beneficia-  
ria, per quam jus utendi fruen-  
di in perpetuum re immobili  
transfertur in accipientem, proprietate  
apud dantem remanente, sub fidelitate  
&

& exhibitione servitorum honestorum. Probatur hæc definitio *in s. fin.*  
*In. qu. can. feud. amit.*

Dicitur esse concessio beneficiaria re-  
&tè, quia oritur ex beneficio feudum, ac  
tantum ex domini liberalitate. Ex quo  
sequitur, feudum emptitium, id est, pec-  
cunia comparatum, non proprium & re-  
tum, sed magis improprium & degene-  
rans feudum, quia non est gratuitum.  
Hinc etiam fit, quod feudum non possit  
pignori dari sub lege commissoria, h. c.  
debitor non potest fundum suum credi-  
tori oppignorare hoc modo, ut si pecu-  
nia statuo tempore non solvatur, fundus  
sit feudalis, & creditori cedat in feudo,  
quia feuda non sub prætextu pecuniæ,  
sed amore & honore domini acquirenda  
sunt. *tit. de feudo dato in vic. l. com. repro-*  
*bando.*

*b Res Immobilis.* Hoc ideo additur, quia  
res mobilis in feudo non datur, & hoc  
est, quod dicitur, feudo non posse nisi  
in rebus soli consistere. *c. unic. in fi. de feu.*  
*cognit.* quia mobilia ætatem & senium  
non patiuntur, sed facile corrumpuntur.  
Qua in re ab usufructu distat, quia u-  
susfructus in servis, jumentis, pecori-  
bus

14 DISPUTATIO

bus, aliisque perituris rebus constituitur.

c *Ius utendi fruendi in perpetuum.* In hoc differt feudum ab Usufructu, quod Ususfructus, quatenus est servitus personalis, ultra personam fructuarii non extenditur. *§. ult Inst. de Vsufr.* Feudum autem est jus utendi fruendi, quod ad vasallum, & heredes ejus in perpetuum pertinet. *d. §. ult. In qu. cau. f. amit.*

d *Fidelitate.* Postremo ad feudum requiritur interpositio fidei. In eo est differentia feudi & emphyteuseos. Dat ur emphyteusis ad rei meliorationem, ad majorem & uberiorem culturam agrorum. Unde & nomen accepit, *θέα τοιμητούσιν. i. ab infistione arborum.* Feuda pertinent ad rem militarem, & conceduntur gratis propter militaria officia. Emphyteusis vero conceditur propter annuam pensionem. Sunt & aliæ differentiæ inter feudum & emphyteusin, quia sceminæ in emphyteusi succedunt, at non in feudo. De quibus vide *Praesidem Everar. in Topic. in loco à feudo ad emphyt.* & contra.

Hæc de definitione; Percurramus nunc ea, quæ propria sunt hujus contratus. *Curtius 7.* ponit proprietates feu-

di

di in 1. parte sui tractatus feudorum, quæst.  
6. nos xi. collegimus.

e Prima est, quod cum res traditur in  
feudum, ususfructus transeat in Vasal-  
lum, sed proprietas retinetur ab eo, qui  
rem concedit in feudum. *S. ult. In qu. cau.  
feud. amit.*

f Secunda est, quod Vasallus fidelita-  
tis nomine solenniter sacramentum pre-  
stare cogatur. *lib. 2. tit. 3. in fin.*

g Tertium proprium est, quod Va-  
sallus tenetur domino exhibere servitia.  
Unde feudum francum impro prium est  
feudum, & degenerat à recta feudi natu-  
ra. Est autem feudum francum, in quo  
Vasallus ad servitia non tenetur, fideliti-  
atem tamen domino servare tenetur, di-  
ctum francum quasi liberum. Sic Comi-  
tatum Hollandiæ feudum francum im-  
perii esse, notat *Præses Everhardi*, in lo-  
cis legalibus, in loco à liberto ad Vasallum,  
ubi tradit, quod Comes Hollandiæ est  
Vasallus frans Imperatoris. Huc facit,  
quod Imp. Carolus V. edicto perpetuo  
Anno 1518. officia militaria, vulgo Ser-  
vitia dicta, in universum abrogavit, vasal-  
lisque omnibus remisit. Ut notat Neo-  
stadius in tract. de succeſſu feudi. cap. 1. nu. 18.

Quar-

<sup>h</sup> Quartum est, quod servitia non sint conditionata, aut certa forma prescripta: debet enim Vasallus praestare servitia ex arbitrio domini, quem dominus imperatorius erit. lib. 2. tit. 23.

<sup>i</sup> Quintum, quod Vasallus non possit feudo privari sine culpa. lib. 2. Feud. tit. 24.

<sup>k</sup> Sextum, quod feudum sine consensu domini non alienatur. c. 1. de prohi. feud. alie. per Lotha. c. 1. in princ. de prohi. feud. alie. per Fride.

<sup>l</sup> Septimum, Vasallus debet intra annum & mensem investituram petere. lib. 1. t. 22.

<sup>m</sup> Octavum, quod fœminæ non succedunt in feudis, nisi aliud convenerit. Lib. 1. t. 8. de succes. feud. §. filia.

<sup>n</sup> Nonum, ut feudum consistat in rebus immobilibus, aut iis bonis, quæ vicem immobilium referunt. c. unic. in fin. de feud. cognit.

<sup>o</sup> Decimum est, ut feudum perpetuum sit, & ad heredes transitorium in infinitum. c. 1. §. fin. In qu. cau. feud. amit.

<sup>p</sup> Undecimum, ut sit gratuitum, & originem habeat ex benevolentia domini, non sit pecunia emptum. c. 1. de feud. dato n. vic. leg. mmis.

Hic

Hic autem utilis movetur quæstio,  
an si pactum aliquod apponatur, quod sit  
contra proprietates & naturalia feudi, an  
nihilominus in aliis retineat naturam feu-  
di. Et breviter dicendum, quod licet pa-  
ctum contra naturalia feudi apponatur,  
firmus tamen manet contractus in aliis  
capitulis, licet impropriè. *tex. in c. i. de*  
*feudo non hab. prop. natu.* ubi dicitur, licet  
feudum propriam naturam non habeat,  
jure tamen feudi censemur: & sic licet in  
quibusdam feudi natura per pactum est  
immutata, in aliis tamen firma perma-  
net. *text. in c. i. §. præterea.* *Quid sit inve-*  
*stit.* Itaque in feudis etiam admittuntur  
pacta contra naturam contractus, & ser-  
vari debet investituræ tenor, licet natu-  
ræ feudi repugnet. *c. i. de duob. fratr. à Ca-*  
*pit. invest.* quem *text.* ibibem jubet Baldus  
notandum ad hoc, quod investituræ  
tenor deroget cuicunque naturæ feudo-  
rum. *Curt. in tract. feudo par. i. quæst. 6. nn.*  
28.

Nunc ad divisionem feudorum tran-  
seamus, ubi operam dabimus, ut non mi-  
nus vera, quam optima ponamus. Juris-  
periti feudistæ malè ac contra artis præ-  
cepta feuda dividunt: nam ex singulis

B               qua-

qualitatib<sup>as</sup> proprias statim divisiones  
constituunt, quasi vero circumstantie no-  
vam faciant speciem. l. fin. ff. de fund. instr.  
*Alvarot.* 22. genera ponit. *Baldus XI,* adeo  
ut arborem faciant, non minus ridiculē,  
quam si ex singulis pactionibus, novas  
contractuum species ponas.

Dividitur primo feudum in proprium  
& impro prium. Proprium est, quod pu-  
rē simpliciter & directo conceditur, nul-  
la temporis aut servitiorum determina-  
tione. §. pen. & ult. tit. Quid sit investit.  
c. 1. §. fin. & ibi Gl. de Capitan. qui Cur. vend.  
Et hoc est transitorium ad heredes. c. 1.  
in fi. In qu. can. feud. amit. neque auferri  
potest, nisi feloniae, id est, perfidiæ da-  
mnato. lib. 1. tit. 7 de natura feudi.

<sup>1</sup> Ex quo apparet in ejusmodi feudis hoc  
requiri, ut dignitas cum feudo ad hered-  
es investiti transeat, quod fieri videmus  
in Ducibus, Marchionibus, & similibus.  
Quando vero neque feudum, neque di-  
gnitas transit ad heredes, sed solum ad vi-  
tam Vasalli durat, quale est feudum Gu-  
ardiæ, id est, custodiæ, habitationis, &  
Soldatæ, & similia. c. 1. de feu. Guard. c. 1.  
Quis dicitur dux, &c. Vel cum condi-  
tionibus & obsequiis nominatim defini-  
tis

## FEUDALIS I. 19

tis feudum datur. c. i. in fi. *Quid sit investitur.* eo casu potius appellari debet administratio, licet sit collatum per modum feudi, mediante investitura. *Alvaro. de alien. feudi.*

<sup>1</sup> Proprium feudum aliud est antiquum seu paternum, aliud novum. Antiquum dicitur, quod ab aliquo ex ascendentibus, qui ultra quartum gradum communis agnationis fuit origo, quasitum est. Et vulgo dicitur, *een alte Etams lehen gude.* Paternum est, quod ab aliquo ascendentium usque ad quartum gradum incepit: Verum antiquum feudum fere cum paterno confunditur. *c. i. de succes. feudi.* Præsumitur autem in dubio feudum esse antiquum, si Vasallus sit in possessione feudi. *c. i. in fi. quem text. Bald.* ibi dicit esse mirabilem, *de succes. frat.* Secus si dominus sit in possessione, quia tunc ob directum dominium, quod habet dominus, præsumitur pro domino. *Alvaro. in c. i. de succes. frat.* *Alcia. in tract. de præsumpt. nu. 28. præsumpt. reg. 3.*

Nonum feudum est, quod incepit in persona beneficiarii, nec ad eum pervenit ex successione. *c. i. de suc. feu.* *c. i. §. novam. tit. qui testes sunt neces.*

## 20 D I S P U T A T I O

¶ Differt autem feudum novum ab antiquo seu paterno in hoc potissimum, quod ad novi feudi successionem non nisi filii ejus, qui ipsum primo acquisivit, aliquique ex eis descendentes admittantur. *c. unic. de succes. feudi. c. unic. de succes. fratr.* Verum ad feudi antiqui vel paterni successionem non solum descendentes, sed etiam agnati collaterales admittuntur. *c. unic. de natu. succes. feu.*

¶ Utrumque potest esse regale, aut non regale. Regale est, quod ab Imp. vel Rege conceditur, habens praeter simplicem jurisdictionem, dignitatis titulum, ut Ducatus, Marchionatus, Comitatus. *c. i. de feud. March. c. i. de l. Corra.* Hujusmodi regalia feuda sunt illa, quæ Principes Germaniæ tenent, sive seculares sint sive ecclesiastici: nam & hi bona sua feudalia ab Imper. recognoscunt. *Gail. lib. 1. Obs 30.* Iuno & regna quædam sunt feuda regalia. Sic regna Daniæ, Poloniæ, Bohemiæ, & Burgundiæ solent esse feuda imperii, teste *Cujac. in tit. de feudis.* Non regale est, quod nihil dignitatis vel eminentiæ ad fert, sive à principe ipso, sive ab inferiore concedatur. *c. i. De his qui feud. dare poss.* Inter hæc feuda dif-

differentiæ adferuntur hæc. 1. Quod in feudis regalibus semper opus sit nova investitura. c. 1. de feud. March. Hodie tamen usurpatur, ut non sit opus. Et in Germania receptum, ut non nova investitura solenni, sed tantum renovatione simplici petantur, concedanturque ab Imp. exceptis duobus, Electore Saxonię, ac Magisterii Teutonici.

11 In regalibus solus Princeps, & hodie etiam Camera imperii, quæ cum Imperatore concurrentem habet jurisdictionem, est judex: de reliquis judicant pares curię, qua de re inf. c. XI. de controversiis feudalibus.

Feudum impro prium est, quod à naturali feudi cognitione degenerat, quod militare non est. Veluti cuius causa fidelitas & homagium non juratur, quod unius anni spacio, vel morte, vel præstituto tempore finitur: qualia sunt feuda Castaldiæ, Guardiæ, Cameræ, Cavenæ, & Soldataæ. lib. 1. tit. 2. tit. *Quis dicatur dux.* &c. in fin. De his etiam 1. cap. X. dicetur. Hæc de feudorum divisionibus.

A D

## C A P U T . I.

## N O T A E

<sup>a</sup> V ocem feudi esse homonymam, & quandoque pro ipso agro feudal, quandoque pro concessione seu contractu beneficiario accipi, passim ex Libr feud.apparet. Valeat ergo definitio, si non ut perfecta, saltem ut imperfecta & à potiori parte, seu ut descriptio. Adde i. omn. def. 202. de R.J. Arum d. disp. 1. thes. 23. Sane Moribus, quibus feuda fere nihil aliud sunt, quam bona allodialia seu patrimonalia. Zyp. in notit.jur.Belg. tit.de feud. Bus. ad.l. 1. si ag. vettig pet. potest debitor fundum suum ita creditori oppignorare, ut fundus obligatus sit feudalis, si debitor statuto tempore pecuniam non solverit. Quin ipse Obertus in illa sententia fuit. Lib. 1. feud. tit. 51. §. Similiter feud. & Hotom. in c.un. de feud. dat. in vic.l.com. Justitiam d. l. comiss. tum hic, tum ad tit. de paet. significavi, & latius, Deo volente significabo in not. ad tit. de l. commiss. An feudum sit contradictrix stricti juris, an vero bona fidei, an nominatus, an vero innominatus, disquisitione indignum est, quum usum non habeat, ut notavi ad tit. Inst. d. obligat. ex consl. & ad l. 7. de paet. Adde Gudelin. d. tract. c. 4. part. 2. Amel. de conscient.lib. 5. c. 42. n. 3.

<sup>b</sup> An & quomodo res mobilis infeudum concedi possit, dixi ad cap. 4.

<sup>c</sup> Hic auctorem nostrum de principaliore parte loqui, & de natura proprii feudi, constat

F E U D A L I S I.

23

*ex lib. 1. feud. tit. 1. & 2. Ex ipso Auth. in fin. hui. cap. 1. Quod Moribus extra controversiam est, ut iure veteri feuda ad nutum domini finem nanciscabantur. c. un. §. & quia de his qui feud. dar. poss. An ergo perpetuas sit de substantia feudi, vide apud Arum d. disp. 1. thes. 37.*

*d. An hoc substanciale feudi sit, ut domino fides & servitia praestentur, frusta controvertitur, quoniam pacta magis spectanda sunt, quam substancialia contractus. Si non est feudum proprium, sit improprium, idque servetur, de quo convenit, ut dictum est ad praelud. Imo ipse Auth. lit. q. & c. 10. in fin. tradit regulam, quod propria Feudorum natura maneat, licet in certis partibus propria natura feudi mutata sit. Eandem agnoscit Fred. à Sande tract. 1. tit. 3. c. 1. §. 6. n. 29. & 46. Quod Moribus feminæ in feuda succedant, vide mon. ad octav. prop.*

*e. An illa proprietas pacto mutari possit, vide apud Arum d. disp. thes. 16. Quid hodie U. sus habeat dicta questio, collige ex antecedentibus.*

*f. Quod pacto juramentum fidelitatis remitti possit, probatur ex lib. 2. feud. tit. 3. §. ult. Formulam fidelitatis vide in tit. 6. & 7. d. lib. 2. cui Hollandica non multum dissimilis est, ut videre est apud D. Groeneweg. ad d. tit. 7. Germanic. vide in cap. 7. Belgic. apud Gudelin. de jure feud. c. 7. part. 2. An per procuratorem praestari queat, vide apud Zyp. in notit. Jur. Belg. ut de feud.*

*g. De hoc tertio proprio quid notandum sit, magna ex parte dixilit. d. An comitatus Hollan-*

## 24 D I S P U T A T I O

*landiæ sit feudum francum altioris indaginis  
videtur (permultos enim novi, qui negant) magisque dicta lis ad Antiquariorum, quam ad no-*

*strum forum pertinet.*

<sup>h</sup> Kursus hic Author à majore parte loquitur.  
Nam quædam Feudorum genera esse, quæ certum officium, aut certam administrationem conjunctam habeant, liquidi juris feudalis est.  
lib. 2. tit. 51. §. ult. Plura de servitio vide in not.  
ad c. 7. ubi & ipse Author notabiles dictæ proprietatis quartæ limitationes proponit.

<sup>i</sup> De hoc proprio, quod propriæ proprium non est (quum nemini regulariter jus suum sine causa auferendum) latius dicam ad cap. 8.

<sup>k</sup> Moribus nostris, saltem in plerisque locis Belgii, feuda absque consensu domini alienari posse, tradidérunt Gudelin. de jure feud. part. 4. c. 2. Freder. Sande ad cons. feud. tit. 32. Bugn. de II. abrogat. lib. 4. feft. 70. Christin. vol. 1. decis. 268. Groen. ad lib. 1. feud. tit. 5. Zyp. d. tit de feud: ubi varia pro varietate locorum requisita adduntur, de quibus nos lat. ad d.c. 8.

<sup>l</sup> Moribus investitura petenda est intra annum & diem, hoc est, sex septimanas. Neofstad. de feud. Holland. successi. c. ult. n. 4. Grot. Introd. 2. part. 41. n. 63. Gudelin. de jure feud. part. 3. c. 6. Zyp. d. tit. Landtr. van Over. tit. 25. art. 8. p. 2. An propter omissam investituram feudum amittatur, dixi ad Cap. 2. & 8.

<sup>m</sup> Hodie in plerisque Belgii Regionibus fæminæ ad successionem feudi admittuntur, nisi tenor investitura eas excludat. Gudelin. d. tract. part. 1. c. 1. n. 13. & part. 3. c. 3. n. 3. & seqq. Zyp. d. tit.

d.tit. *Ratio allegata est in not. ad h. c. i. lit. a.*  
*Quo facit. c. cæterum. de judic. c. ex transmiss.*  
*de foro compet.*

n *De hoc nono proprio latius egi ad c. 4.*

o *De hoc decimo notavi lit c.*

p *Quum ipsa donatio remuneratoria dicatur ex liberalitate profecta. l. 1. pr. de donat.*  
*mirum videri non debet, quod & feudum dicatur beneficium, seu datum quidex benevolentia.*  
*lib. 1. feud. tit. 27. in fine pr. & lib. 2. tit. 23. vers.*  
*In primis. Rationem, cur hic non inquiror, an*  
*feudum emptitum sit feudum proprium, signifi-*  
*cavi supra. Vide tamen, si lubet, Sonsbec. p. 2.*  
*n. 8. de feud. Arum disp. 2. thes. 5.*

q *Communiter DD. distinguunt inter natu-*  
*ralia & substantialia contractus. Mutatis na-*  
*turalibus, inquiunt, manet tamen contractus,*  
*sed si pactum sit contra substantialiam contractus,*  
*tunc vel ipse contractus nullus est, vel transfert in*  
*aliam speciem contractus. DD. ad l. 11. §. 1. de*  
*reb. credit & l. 72. de cont. empt. & Auth. in*  
*c. 10. Usum & sententiam nostram facile asse-*  
*qui licet ex præcedentib. Adde Arum. d. disp.*  
*1. thes. 40. & seqq. & Fred. à Sande tit. 3 c. 1. §.*  
*6. n. 29. & 46. & nostra d. lit. d. & lit. seq. s.*

r *Quod pleræque feudorum divisiones usu*  
*magis, quam specie differant, plerique Feudi-*  
*siæ agnoscunt. Curtius Jun. in tract. feud. p. 1.*  
*q. 8. statuit, primam illam divisionem in feu-*  
*dum proprium & improprium continere specifi-*  
*cam differentiam, reliquas vero diversa potius*  
*nomina feudorum esse. Hodie feuda juxta com-*  
*munem succedendi ordinem ad heredes transire,*

## 26 D I S P U T A T I O

judicavi supra, & confirmat. Gudelin. d. tract. part. 3. c. 3. & 5. juncto tamen Groen. ad Lib. 1. feud. tit. 1. §. 1. & 4. An ergo feudum recte distribuatur in feudum hereditarium, & feudum ex pacto & providentia frustra in controversiam vocatur, quanquam dictam deviationem Usu receptam esse, testetur Arum. disp. 2. thes. ult. Sane si de re, non de nomine disputemus, feudo aliqui concessio, ejusque justis & legitimis heredibus, seu heredibus simplicitur, tantum heredes ab intest. vocati censemur, qui Vasalli virtutes imitaturi presumuntur. Vide latius hac de quaestione differenter Fachin. 7. c. 3. & 4. Freder. à Sande. ad cons. feud. tit. 3. c. 1.

*Si hoc actum appareat, ut quid jure feudali regeretur, quanquam non transeat cum dignitate ad heredes, à majore parte feudum potius, quam administratio appellandum est, quum plures sint feudi proprietates, de quibus supra. Hinc constat, hanc concessionem, ut vasallus ab omnibus servitio liber sit, valere, & formam feudi continere. c. un. de feud. non hab. propr. feud. nat. Plura de feudis Guard. Soldat. & Similibus vide c. 10. & apud Arum. d. disp. 2. thes. 17. & seqq.*

*An recte Feudista distinguant inter feudum paternum & haereditarium, an praesumatur antiquum, an paternum extra trinepotem extendatur, & similes quaestiones vide apud Arum. d. disp. 2. thes. 36. & 44. Nam hodie communis norma succedendi in feudis quoque servatur, & tanquam in bona ultimi possessoris succeditur, ut supra & infra fusius notatur. Quod feudum*

dum novum jure feudi antiqui concedi possit.  
vel ipsa DD. communis opinio agnoscit, teste A-  
rum. d. disp. thes 43.

<sup>v</sup> Hodie in successione feudi nec debere esse  
discrimen inter feudum novum & vetus, nisi  
contrarium adiunxit, vel aliter consuetudo ve-  
lit, supra probatum saepius. Mores Holland. vi.  
de apud Neostad. de feud Holl. success. Grot. In-  
trod. 2. part. 41. Aliarum Gent. apud Gudelin.  
d. tract. part. 3. c. 1. & 2. de quibus latius in cap.  
5. tract. nostri.

<sup>w</sup> Feudi Regalis specialia latius refert A.  
rum. d. disp. 2. thes. 49. An Marchio Comite di-  
gnior sit, vide apud Gudelin d. tract. part. 1. c. 3.  
An Baro à Comite titulo Ducatus per Regem  
auctus & erectus maneat nihilominus obligatus  
ad pristina fidei & obsequii officia, vide apud  
Eund. d. c. 3. n. 8. Quod feudum nobile hodie non  
nobilitet, notat Zyp. d. tit. An Imperator Vasal-  
lus sit Pontificis vel sedis Apostolicæ, vide apud  
Eund. d. c. n. 6. & Groen. ad lib. 2. feud. tit 28.  
& 100. De feudo ligio, de quo plerique in divi-  
sionibus, Author noster in c. 5.

## CAPUT II.

*Qui Feuda dare possint.*

**P**ersonæ quæ feuda conferre  
possunt, sunt duplices. Eccle-  
siasticæ & Laicæ. Ecclesiasticæ  
sunt Papa, Archiepiscopus, Episcopus,  
Ab-

Abbas, Abbatissa , Præpositus , & Clericus . c. i. *De his qui feud. dare pos. in princ.*  
Papa, quia cum omni prælatura Ecclesiastica concurrere dicitur , ex plenitudine  
suæ potestatis feuda cujuslibet Ecclesiæ concedere dicitur . *Bald. in d. c. i.* Ecclesiastici recte feuda ex propriis rebus con-  
stituunt. *tit. de Cleric. qui in vestit. fec.* Ex  
rebus ecclesiæ , si id ferat consuetudo , id  
est , si antiquitus solite sunt infeudari , ut  
ait *tex. de us qui feud. dare poss. in princ.*  
Res autem tunc dicitur infeudari solita ,  
si 40. annis in feudum dari consuevit , &  
binus investiendi actus accesserit . *Zaz.*  
*par. 5. feud. n. 4. 25.* Sicut enim jura & res  
ecclesiæ non præscribuntur minori tem-  
pore , quam 40. annis . *Auth. quas actio-*  
*nes. C. dd. SS. Eccl.* sic nec jus dandi in feu-  
dum citius debet præscribi , quia præscri-  
ptio est modus alienationis . *l. alienationis*  
*28. de V. S.* Ex quo appareat , novum feu-  
dum ab Ecclesiasticis non recte dari , ut  
decrevit Urbanus Papa in synodo Late-  
ranensi . *tit. Episc. abba. vel dom. &c.* ut  
nec veteri feudo adjicere novum pactum  
possunt , cum damno Ecclesiæ . At vetus  
feudum recte largiuntur , quod jam ante  
feudum est . Idque sine consensu capi-  
tuli

tuli prælati ecclesiarum facere possunt. c.  
2. in verb. librè. ex. de feud. c. I. §. in clericorum.  
Si de invest. int. dom. & Vasal. lis  
oriatur.

<sup>b</sup> Hactenus de personis Ecclesiasticis,  
nunc de Laicis videndum. Harum qua-  
tuor sunt gradus. Primus est summorum  
Principum Regum & Imperatorum, qui  
soi feuda regalia, ut sunt Ducatus, Mar-  
chionatus & Comitatus, conferunt, &  
qui talia feuda ab his accipiunt, dicuntur  
Capitanei regni, ut sunt Duces, Mar-  
chiones, Comites. c. I. de feud. Marchiæ.  
Duces sunt, qui de Ducatu aliquo investi-  
ti sunt. c. unic. *Quis dicitur dux.* &c. Dicti  
sunt à ducendo exercitu. Origo eorum  
profluxit à Romanis, qui propter præcla-  
ra belli gesta Capitaneis suis & ducibus  
territoria, & provincias regendas dona-  
runt, ita tamen ut ab eis in feudum re-  
cognoscerent. *Zaz. in epit. feud. par. 5.*  
*nū. 6.*

Marchionum appellatio descendit à  
marca. Veteres appellantur limites sua-  
rum provinciarum marcas, iisque præpo-  
suerunt præfectos militum, qui limites  
ab hostilibus incursionibus defenserent,  
quos dixerunt Marcgraphios, Latine Li-  
mi.

30 D I S P U T A T I O  
mitancos Præpositos. *I. Viros. C. de divers.*  
*offic. lib. 12.* Hinc Marcgraphius Rotvi-  
lensis & Badensis constituti videntur ad  
tuendos fines Rheni. *Zazius d. loco. nu-*  
*10.*

Comites dicti sunt à comitatu Princi-  
pis, eorumque origo cœpit à Germanis.  
Habebant enim olim Germanorum Du-  
ces XII. belli comites, qui cum duce ad  
bella mittebantur, nec à latere ejus un-  
quam discedebant. *Tacitus in Libel. de*  
*Morib. German.* Postea sunt illis civita-  
tes & provinciæ administrandæ datæ,  
productaque est comitatus significatio ad  
majorem dignitatem.

Secundus gradus est Ducum, Mar-  
chionum, Comitum, qai ut dictum est,  
sunt Capitanei regni: qui ab his feuda  
accipiunt, Valvavores majores dicuntur.  
*c. unic.* *Quis datur dux,* &c. barbaro vo-  
cabulo, quasi ad válvas domini stantes,  
custodiæ & reverentiæ exhibendæ causa,  
digni qui intrent propter beneficium ac-  
ceptum à domino. *Andr. de Isern.* in *c.*  
*unic.* *De his qui feud. dare poss.* Hos Zazi-  
us putat esse Barones nostri temporis.  
quos *Baldus in c. notuit.* ex *de feu.* ita defi-  
nit, ut Baro sit, quisquis merum mixtum-  
que

que imperium in castro aliquo*i* ex con-  
cessione Principis habet. *een bander heer,*  
*ost vryheer.* Oldend. clas. 5. tit. de action. be-  
neficiar.

Palatini porro, ut hoc etiam addam,  
dicuntur proceres palatii, quorum consi-  
lio regitur Respub. *Gl. in l. fina. in verb.*  
*palatini. C. de res. vend.* Dicuntur Palati-  
ni, quod in sacro palatio constituti sunt,  
vel in eo militant. *l. unic. C. de tract. omn.*  
*palat. pecul.*

Tertius gradus est Valvasorum majo-  
rum & Baronum, & qui ab his feuda ac-  
cipiunt, dicuntur valvasores minores. *d.*  
*c. unic.* *Quis dicatur dux, &c.*

Quartus gradus est valvasorum mino-  
rum, & qui ab his infendantur, Valvaso-  
res minimi, alias Valvasini dicuntur. *c. u-*  
*nic. de feud. dat. minim. Valvasor.*

*d* Breviter feuda dari possunt à sum-  
mo principum gradu ad infimam ple-  
bem, dummodo liberam suorum bono-  
rum administrationem habeant. *c. unic. in*  
*princ. per quos fi. in vest.*

*e* Hactenus de personis, quæ propter  
etatem & judicium suorum bonorum ad-  
ministrationem habent, nunc de pupil-  
lo, minore, prodigo, furioso quæren-  
dum,

32 D I S P U T A T I O  
dum, an feuda dare possint? Et quidem  
minores XXV. annis, etiamsi sui juris  
sint, feuda non dant, feuda inquam non  
constituunt de novo. *per l. 3. §. 4. ff. de reb.*  
*eo. qui sub tute. l. 3. C.* *Quand. decre. non est*  
*opus.* Imo & minores, qui tutorum vel  
curatorum auxilio reguntur, ne quidem  
cum horum auctoritate & consenſu feu-  
dum de novo dare possunt absque de-  
creto Prætoris. Hæc est communis DD.  
fententia. *per text. in c. 1. §. novi.* Per quos  
fi. *invest. Vulte. cap. 3. de feudis.* Non in-  
quam sine decreto Prætoris feudum con-  
ſtruere possunt. Nam id genus est aliena-  
tionis. *d. §. novi.* Alienari autem mino-  
rum res immobiles (in quibus feudum  
tantum conficit) sine Judicis decreto ac  
causæ cognitione non possunt. *l. 1. ff. de*  
*reb. eor. qui sub tute.* In veteri feudo res  
est paulo intricior, existimantibus his  
posse, negantibus illis; Rectius sentire  
videtur illi, qui feudum vetus vasallo  
mortuo, à minore XXV. annis successo-  
ri dare posse existimant, etiam sine tuto-  
ris & curatoris auctoritate, quia non vi-  
detur alienare, qui veterem alienatio-  
nem renovat. *arg. l. 1. §. aquæ ductus ff. de*  
*agu. quot. & ast. & minor non alienat hoc*  
*casu,*

casu, sed quod alienatum erat à parentibus, juris necessitate impellente approbat. Ita sentiunt Hanneto. lib. I. feudo. c. 5. Borcholt in tract. de feud. c. 5. nu. 43. Vultejus de feud. c. 3. nu. 7. Dissentiunt Hotoman. in d.c. I. Per quos fiat invest. Duare. c. 6. nu. 10. Sonsb. par. 6. feudo. nu. 7. Non obstat edictum Prætoris in d.l. I. ff. de rebus eor. qui sub tute. nam id ad solutionem debiti paterni non pertinet: pupillus enim sine tutoris vel prætoris auctoritate debitum paternum solvere potest. l. 5. §. 6. pupillus ff. de reb. eorum qui sub tute. sunt. Vetus feudum debetur heredi proximo, ex eorum voluntate, qui feudum ab initio constituerunt. Non obstat etiam, quod quoties pupillus vel minor suam conditionem poslunt detriorem facere, vel quoties obligantur ex aliquo contractu, toties requirendam auctoritatem tutoris. §. 1. Inst. de auct. tu-  
to. Nam pupilli & adulti rem suam hoc casu faciunt meliorem. Utile est, atque interest minoris, quod semel debetur, solvere, & quod tradendum est semel, dare maturius, ut vasallum obligatum ad defensionem salutis suæ, ac fortunarum habeat maturius. Vasallus præterea pre-

stare tenetur domino juramentum fidelitatis, quo facto conditio ipsius minoris melioratur. Quod si forte minoris inter sit feudum datum non esse, hoc casu sine curatore nulla videtur intelligi facta fuisse feudi concessio, quippe cum nec liquidem debitum sine eo solvi possit. l. obligari 9. §. pupillus ff. de aust. tuto.

¶ De fœmina, an feudum dare possit, quæritur? Et respondeatur, quod possit. text. est in §. fœminam tit. Per quos fiat investit. Nec obstat, quod dicitur in tit. de investit. in marit. facta. c. unic. an apud jud. vel cur. dom. quæst. feud. term. deb. & in c. ult. de prohib. feud alien. per Frider. Eum, qui feudum dat, habere jurisdictionem, quod in fœminam cadere non posse, explorati juris est, cum jure civili Romano fœminæ ab omnibus muneribus & officiis civilibus vel publicis arceantur. l. fœminæ. ff. Reg. jur. Inveterata enim consuetudo retinenda est, donec per contrariam consuetudinem tollatur. Moribus autem introduci potest, ut fœminæ magistratum gerant, & judicandi officio fungantur. c. dilecti. ext. de arbitris.

Sic usu receptum videmus, in Anglia, Lusitania, Hispania, Scotia, ut fœminæ

rc\*

regia sceptra teneant. Ita Angelus Jo-  
nam Siciliæ reginam sedentem in folio se  
vidisse refert, & terentem sententiam con-  
tra Dominos de Balso, ut notat Decius *ad*  
*d.l.fœmine.* Quinimo in Belgicis nostris  
provinciis sæpè fœminæ sceptra imperii  
tenuerunt, & non insolens est Belgis  
*zvvingxgulæoꝝ*, id est, à fœminis regi. Sic  
Maria soror Imp. Caroli V. aliquot annis  
gubernacula tenuit in provinciis Belgi-  
cis, & post eam Margareta Ducissa Par-  
mensis. Similiter Illustris domina Jaco-  
ba Bavara Hollandiæ Comitatum ali-  
quandiu rexit & gubernavit.

Non obstat etiam, quod fœmina feudi  
capax non est, & exinde quod non ha-  
bet, alteri dare non potest. *arg. l. nemo*  
*plus juris. ff. de reg. jur.* Dubium enim  
non est, quin fœmina feudum habere  
possit, si ita expresse in investitura conve-  
nerit, ut fœmina in feudo succedat, abs-  
que ea expressa conventione succedere  
non potest in feudo. *lib. i. tit. 8. de succes.*  
*feud. §. filia.* Moribus quoque fœminæ  
feudorum sunt capaces, non solum mi-  
norum, verum etiam majorum, ut Re-  
gnorum & ducatum, &c. Inde regnum  
Bohemiarum Imp. Henricus VIII. habitis

Spiræ comitiis Anno. 1310. mortuo' rege Bohemiæ, ejus filiæ Elisabethæ feudum primum postulanti concessit, verum dato ei marito filio suo Johanne.

A D  
C A P U T II.  
N O T Æ & M O R E S

<sup>a</sup> Hæc omnia de personis Ecclesiasticis repeatit, & paulo latius explicat Arum. disp. 3. thes. 1. & seqq. sed explosa auctoritate Pontificis Romani. thes. 3. Veras & orthodoxas quoque Ecclesiæ, si qua bona possiderent, eam in feudum dare posse ad majorem utilitatem Ecclesiæ extra dubium videtur. si adhibitus sit consensus Magistratus, cui omnis anima subjecta est, maxime ubi de Reip. salute agitur. Rom. 13. Quare Moribus nostris solus Princeps, ejusque vasalli feudum praesertim cum dignitate dare possunt. Groen. ad Lib. 1. feud. Tit. 4. Neostad. de feud. c. ult. n. 36. Grot. Introd. 2. part. 41. Gudelin. d. tract. part. 2. c. 1.

<sup>b</sup> Hæc de Principe, Duce, Marchione & Comite repetuntur & extenduntur apud Arum. d. disp. 3. thes. 4. Gudelin. d. part. 1. c. 3. Chopin. de doman. Franc. 3. tit. 26. Loyseau de Seigneur. c. 5.

<sup>c</sup> Valvavorum & Valvafinorum nomina in desuetudinem abiisse, & vocem Capitanei non amplius esse nomen vasalli, sed Praefecti milit. scrip-

## F E U D A L I S . I.

37

scripsit Gudelin. d. c. 3. n. 3. Quid apud Gelros  
significaverint, vide apud d. Sande tract. præli-  
min. n. 19. & seqq.

d An & quomodo hodie quilibet pater-fam.  
etiam rusticus bona sua allodia in feudum dare  
possit, ostendimus supra. Moribus nostris, inquit  
Fred. a Sande tit. 1. c. 1. n. 4. dubio caret. De  
hoc jure feudalii dissertantes vide apud Arum.  
d. disp. 3. thes. 17. & Gudelin. d. tract. de feud.  
part. 2. c. 1. n. 5.

e Hanc Authoris de minore. 25. ann. senten-  
tiam justam esse, etiam si minor consensu curato-  
ris novi feudi investituram celebrasset, appa-  
ret ex nostr. ad §. 2. Inst. de curat. & Arum. d.  
disp. 3. c. 22. An & quatenus pupillus feudum  
dare & renovare possit, sequitur ex iisd. & no-  
str. ad tit. Inst. de auct. tut. & Arum. d. disp.  
thes. 24. Quid de prodigo, cæco, muto & surdo  
dicendum, facili Marte ex premissis colligitur.  
quibus adde Arum. d. disp. thes. 25. & seqq. An  
& quando procurator feudum dare queat, ex-  
cusum est in disp. ad tit. de procurat.

f Fæminas jure Divino regni & jurisdictionis  
capaces esse, alibi non uno in loco demonstra-  
vi, ideoque Moribus recte etiam cum dignitate  
feuda dare posse, extra dubium videri debet.  
Add. c. dilecti. de arbitr. & ibi Canonist. Anton.  
de Guevar. in suo horolog. Princip. 2. c. 7. Quod  
si mulier sub potestate mariti est, ejus consensus  
requiritur. Gudelin. d. part. 2. d. 1. n. 3. in fin.  
Fred. a Sande de feud. Tit. 1. c. 1. n. 3. Atque  
hanc sententiam etiam de jure feudalii commu-  
niorem & veriorem esse, testatur Arum d. disp.  
3. thes. 18.

C 3

C A.

## C A P U T III.

*Quibus feuda recte dentur.*

**N**E Hoc capite tenenda est hæc generalis regula, quod unusquisque de feudo investiri possit, cujuscunque lexus, ætatis, conditionis, aut qualitatis sit, nisi expresse inventiatur prohibitus. c. i. §. personam. Per quæ investit.

Feudum accipit summus Pontifex, & Imperator ab inferioribus, hic à Comitibus, ille ab Ecclesiis, quo casu jura menta fidelitatis praestabunt, & per substitutum servient. Zazius par. V. feudorum. in fine.

a De Clericis, an iis recte feuda convenient, quæritur? quorum professio est divinis tantum contemplationibus vacare, non curis hujus sæculi; huic domino servire, à quo vita ac salutis perpetuæ feudum habemus, non à quo feudum tene mus. Peperit hæc quæstio magnam apud Interpretes opinionum diversitatem. Præpositus octo columnis rem tractavit. Zazius nihil definit, affirmant alii, alii negant

gant Clerico vel monacho feudum dari,  
cum sint ad pugnandum inhabiles. c. ex  
multis §. fin. ex. de votis, quorum arma  
sint lachrymæ & preces, non tela, non  
gladii. c. clerici. 33. quæst. 1.

Explicabitur hæc quæstio tribus re-  
gulis. Prima regula erit hæc. Huic, qui  
jam Clericus est, feudum datur novum,  
utroque jure, tam Canonico, quam  
Longobardico. c. ex transmissis. ex de foro  
comp. lib. 2. feud. tit. 40. de capit. Conradi  
in fi. Nam Clerico qui dat feudum, ma-  
nifestè dat ea mente, ut quia Clericus  
feudo personaliter præesse, debitaque  
servitia præstare non potest, propter su-  
ceptos ordines, jam serviat saltē per  
alium.

Altera regula sit, huic qui jam Cleri-  
cus est, non dabitur feudum vetus vel pa-  
ternum. c. unic. §. fi. de feud. fæm. ubi est  
pulcher text.

Tertia regula. Feudum quod quis ha-  
bebat ante Clericatum, sive vetus, sive  
novum, expirat, si fiat Clericus, aut vo-  
tum religiosum assumat. c. unic. §. qui Cle-  
ricus. Si de feud. defun. conten. &c. c. unic.  
de Vasal. mil. qui arma bell. depos. ubi dici-  
tur, quod desinat esse miles seculi, qui fa-

## 40 D I S P U T A T I O

Etus est miles Christi. c.unic. An mutus  
vel al. imperf. &c. Ratio horum in eo est,  
feudum datur personæ, sanguini, fami-  
liæ, itaque personale debetur servitium,  
non extraneum. Nam clericus factus am-  
plius id præstare non potest, quod per  
se præstandum suscepit. Nihil hic com-  
munis ista & plane frigida DD. solutio  
valet, quod per substitutum saltem ser-  
viat clericus, quia certa regula traditur à  
DD. quod habiles ad succedendum in  
feudo demum possint servire per substi-  
tutum, secus quando sunt inhabiles ad  
succedendum, uti est clericus, quia tunc  
non possunt servire per substitutum.  
*Curt.* in 3. parte feudo. 2. memb. nu. 20. Id-  
que probatur per *tex.* in l. 2. §. 1. ff. de adm.  
rer. ad civ. pert. ubi traditur pro regula,  
quod qui per se aliquid exercere prohibi-  
tur, is nec aliorum ope ac ministerio id  
efficere potest. Et ut eleganter ait *Baldus de mil. vasal. qui arm. depos.* Illi soli Va-  
falli per substitutum idoneum servire  
possunt, qui si vellent, nullo vel naturæ,  
vel juris impedimento obstante, per se  
servire possent. *tex. est in c. 1. §. firmiter.*  
*de prohib. feud. alie. per Frider. tex. rotun-*  
*dus. in c. 1. in fin.* An mut. vel al. imperf.

Ea-

## F E U D A L I S I.

41

Eadem ratio est secundæ regulæ. Ideo feudum vetus non debetur Clerico, quia per se feudo præesse non potest. At quisquis olim primus fuit feudi author, certæ familiæ ac sanguini dedit, non ut eo nomine serviat extraneus, cuius indoles aut generositas animi sit incognita, familiam elegit certam dominus ex multis, in quam continuetur successionis ordine feudi munus, id est beneficium feudi & onus. *l. munus 18. ff de verb. sign.* Eaque sententia, quod Clericus in feudo non succedat, probatur *Mins. centu. 5. Obser.* *48.* ubi dicit ita in Camera imperii pronuntiatum. Defendunt præterea hanc sententiam *Pistor. par. 2. feud. q. 33. Affict. decis. Neapol. 320.* ubi ita judicatum refert. *Dissentit. Scurf. cent. 1. cons. 68. Mart. Laud. tit. qui feud. dare poss. §. & quia. nu. 19.* post plures alios quos allegat. *Sonsbec. par. 12. feudo. nu. 144. Chass. in cons. Burg. §. 5. in verb. excepté les religieux. tit. des fiefs.* Eandem opinionem defendit *Frider. Schenck. in c. 1. vas. mil. qui arm. bell. depos.* Quod non videri debet alicui mirum, quia Schenck fuit Episcopus Ultrajectinus, magnus fautor & patronus clericorum. Vide etiam de hac quæstio-

## 42 DISPUTATIO

ne varie differentem Fachinaeum lib. 7.  
contro.c. 35. ubi quatuor causas refert,  
quibus clerici in feudo succedere pol-  
lunt. Quod limitatur ita, nisi ex pacto  
vel consuetudine possit servire per sub-  
stitutum, quia tunc Clericus in feudo  
succedit. Pulchrè Curt.d.lo.nu.23. Iaco de  
S. Georg. in tracta. de feud. in verb. Et qui-  
busunque heredibus, num.4. Feudum au-  
tem in quo Clericus succedere non po-  
test, si novum est, devolvitur ad domi-  
num, si vetus, redit ad agnatos c. unic. de  
vasal.mil. qui arm.bell.depos. Curtius d.loco.  
num.31.

Secundo illi quoque feudum de novo  
recipere possunt, qui ex accidenti, vel et-  
iam à natura muti, surdi, cœci, claudi, de-  
mentes, vel alias imperfecti sunt. Baldus  
& Alvaro. in c. unic. §. fin. Epis. vel abba.  
Dominus enim illorum defecatum sciens,  
& iisdem feudum concedens, ipsis etiam  
gratiam facere creditur, ut si per se com-  
modè servire non possint, per substitu-  
tum saltem serviant. Et hæc in feudo no-  
vo. Quando vero queritur, An mutus,  
surdus, cœcus, demens vel aliter imper-  
fectus in feudo succedant, hæc tenenda  
est distinctio. Aut hi à natura ita procreati  
sunt,

sunt, & tunc in feudo non succedunt. c.  
*unic. §. fin. Epis. vel abba.* Aut casu aliquo  
 sine culpa sua accidenti ita facti sunt, &  
 tunc quidem feudum ante imperfectio-  
 nem successione vel investitura acquisi-  
 tum retinent, & per substitutum servi-  
 tia præstabunt. At in feudo nondum ac-  
 quisito non succedunt, sive imperfecti-  
 nati, vel casu aliquo facti sint ante acqui-  
 sitionem feudi. Et ita intelligi debet. c.  
*unic. §. fin. Episc. vel Abba.* Vel ut brevi-  
 us & apertius dicam. Imperfecti quo-  
 cunque modo, sive à natura, sive ex acci-  
 denti, in feudo non succedunt, sed reti-  
 nent feudum jam ante acquisitum, si post  
 acquisitionem, & possessionem feudi, vi-  
 tium illud imperfectionis vel inhabilita-  
 tis superveniat. c. *unic. in verb. totum feu-*  
*dum paternum retinebit.* An mutus vel al.  
*imperf.* Ita decidit eleganter *Vulte. de feu-*  
*dis c. 9. nu. 64.* & hoc modo hæc duo  
 capitula dissidentia, videlicet. c. *unic. §.*  
*ult. Episc. vel Abba. cum. c. unic.* An mut.  
 vel al. *imperf.* rectissime conciliat.

b Tertia quæstio est de filiofamilias,  
 cui recte feudum datur, scilicet quia non  
 negatur expresse. Edicti prohibitorii ea  
 vis est, ut de quo nominatim nosi inter-  
 dicit,

dicit, in eo mutet naturam suam, & de prohibitorio fiat permisiorum. *l. mutus 43. §. 1. ff. de procur.* At an Ususfructus feudi patri debeatur, non una est omnium sententia. Verius est non deberi. Ita est communis DD. opinio, referente *Zaz. par. 5. feudo. num. 64.* frustra dissentiente Soni bekio *par. 7. feu. nu. 7.*

Nam feudum, quia datur propter servitia militaria, & contemplatione militiae. (*arg. l. 1. C. de castr. pecul. lib. 12. Vul- te. c. 4. de feud. nu. 8.*) castrense peculium est, in quo patri ususfructus non competit. *§. 1. Inst. Quib. non est permis. fa- test. l. cum multa. C. de bo. quæ lib.* Nam ea, quæ occasione militiae filio obveniunt, in solidum ad filium pertinent. *d. §. 1. & d. l. cum multa.* Castrense est inquam peculium, ut & cætera quæ occasione militiae obveniunt, nulla distinctione habita rei mobilis aut immobilis. *d. l. 1. C. de cast. pecul.* Altera ratio est, quia filius laborem fert, præstando servitia militaria, & in illis præstandis electa censetur industria personæ. Ergo æquum est præmia, hoc est, commoda & fructus feudorum ad eum pertinere. Adde quod feuda ejus naturæ sunt, ut ad ascendentess  
non

non transeant. lib. 2. *feud.* tit. 50. Non obstat, quod jus feudorum de hac quæstione nihil statuit, ideoque jus commune videtur servandum. c. *unic.* §. *strenuus.* *de feud.* *cognit.* Juri siquidem communi, quemadmodum & feudorum conventio inter Dominum & vasallum præfertur. Convenisse autem inter dominum & vasallum videtur, ut ususfructus apud filium remaneret. c. *unic.* §. *fin.* *In quib.* *cav.* *feud.* *amit.* Ita post Baldum, Matthæum de Afflictis, tradunt *Borchoolt.* c. §. *feudo.* nu. 48. *Fachin.* lib. 7. *contro.* c. 77.

¶ Illud quoque non eodem modo tractatur, an pupilli & minores, qui sub tutoribus & curatoribus sunt, possint sine eorum consensu feuda accipere, quod verius est. Nam hic contractus eis nocere non potest, quia suscepto feudo, si grave est servitium, facilis est via non minoritatum, sed & cuilibet, ut feudo liberetur, si servitium neget, ut dicitur in c. *unic.* *Quib.* *mod.* *feud.* *amit.*

Quod in his minus habet turpitudinis, qui aliorum parent arbitrio: quia jure legitimeque contractum negant, quod illis sit dispendio. Notandum tamen est, quod ab his non exigatur juramentum fi-

de:

46 D I S P U T A T I O  
delitatis, nisi cum facti sint maiores, id est  
cum ad pubertatem pervenerint. lib. 2.  
tit. 26. §. si minori. *Vulue. cap. Quibus feu-*  
*da dentur. num. 6.*

Tandem dictum fuit in regula initio  
hujus capitinis proposita, nisi forte nomi-  
natim aliquibus feuda accipere prohibi-  
tum sit, quæ adjectio omnino necessaria  
fuit. Etenim multæ sunt personæ, quæ  
feudorum capaces non sunt, ut heretici,  
excommunicati, banniti, publico crimi-  
ne damnati, nati ex nefariis & incestis  
nuptiis, & similes, de quibus prolixe *Io.*  
*Blanch. in Epito. feudor. c. 5. nn. 11.* cum  
seqq. usque ad finem.

---

A D  
C A P U T III.

N O T A E

<sup>a</sup> **M**Oribus nostris & Franciæ (verba sunt  
Gudelin. d. tract. part. 2 c. 2. n. 9.) Cleri-  
cos & feminas iridubie feudorum novorum ca-  
paces haberi, notandum est, cum & vetera feu-  
da capiant, & obsequia per vicarios seu substitu-  
tos præstare eis permittatur. Idem servatur in  
mutilis seu imperfectis personis. Groen. ad d. tit.  
6. Lib. 1. Feud. Sed in Transysulania, aliisque  
vicinis Regionibus membrum monasterii, seu spi-  
ri.

*ritualis nequaquam feudi capax est.* Landz. van Overiss. part. 2. tit. 6. de success. ab intest. Sande tract. 1. tit. 3. c. 1. §. 1. n. 7. Porro nobilis an plebejus sit, qui feudum novum accipit, nec Moribus, nec jure horum Libror. distinguitur. Adde Groenw. Lib. 2. feud. tit. 21. Zyp. d. tit. feud. in pr. Fre. à Sande Tit. c. 1. 1. n. 47. Grot. Introd. 2. part. 41. Ubi ergo subjungitur, quæ supra saepe numero relata est. De hoc jure feudali disputantem vide apud Arum. d. disp. 3 thes. 33. & 42. & seqq.

b Moribus in feudo filio concessio patri non adquiri usumfructum, extra controversiam est, ut pluribus notavi ad Tit. Inst. per quas person. De jure feudali dissentantem, præter Authorem nostrum, vide Arum. d. disp. thes. 39. Fachin. 7. c. 77.

c Pupillam vel Minorem absque consensu curatoris feudum accipere non posse, de jure Romano verius est. arg. §. 2. Inst. de auct. tut. Quare eo nomine male Sonsbecius reprehensus est ab Arum. d. disp. 3. thes. 35. Cæterum in abstracto loquendo sententia Authoris nostri simplici iuris convenientior est, ut probavi latius in not. ad d. §. 2. Inst. Huc facit art. 3. d. tit. 25. Landz. van Overiss. qui latius confirmatur & illustratur ex d. t. 26. §. sic minori. Lib. 2. feud. & ibi Gothof. & Groenew. Christin. d. vol. 6. decis. 9. Ratio art. 4. d. tit. 25. de promi potest ex §. 1. in fin. de usuf. ne scilicet inutilis sit proprietas, quum collegia perpetua esse soleant. Unde a contrario ratio art. 5. resultat. Pretia pro investitura solvenda in art. 6. & 7. varia variis locis constituta sunt. Sand. d. trac. 2. tit. 1. c. 3.

## Corollaria Respondentis.

- 1 *Ius accrescendi etiam locum habet inter verbis conjunctos.*
- 2 *Bonæ fidei possessor non tantum industriales fructus consumptos facit suos, verum etiam naturales.*
- 3 *Ab ipsadatione tutoris non potest appellari.*
- 4 *An nuptiæ cum frigida & simili insanabili contractæ simulatae aut irritæ pronunciari possint, & novæ cum alia permitti, satis anceps est quæstio, nos negativam tuebimur.*
- 5 *Rectè jure Canonico etiam liberi incestuosi sunt alendi.*
- 6 *Male jure Canonico pœna, fœminis intra annum luctus nubentibus impositæ, sunt sublatæ.*
- 7 *Rectè Moribus nostris jus venandi est coarctatum, si tamen fera bestia ab aliquo sit capta, Præfectus saltuum eam afferre nequit.*
- 8 *Nummus quadragesimus omni alienationi rerum immobilium impositus, si solitus non sit, non potest reddere contractum nullum.*

F I N I S.